



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Wenceslavs Mart. 28. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

qui pro Imp. Henr. contra Pont. Greg. stabat. Hic captivo THIEMONI speciem infulae auferre cum capite voluit. Sed aut exerravit gladius, aut duriores se cervicem deprehendit. THIEMO modo palmam prehenderet, facile infulam missam facturum elapsus est carcere Hierosolymam unam cum Guelfone petiit. Sed a Turcis captus, cum statuariam artem professus esset, iussus est truncum & deformatum Mahomeris simulacrum splendore pristino reddere. Hic THIEMO malleum aliaque artis instrumenta petere; mox, ubi haec ad manus fuerit, celebre & oraculis illustre idolum in mille alias partes deformare, nunquam doctius arte sua usus. Nec praemium artificii suo defuit, scuticis toxicatis caeso, omnibusque membris trunco ventre discissus baculoque implexa ilia sede sua cum corde evulsa. Reliquit tamen opus immortale post se & quale nullum Praxiteles. *Ex Bavar. Sancta.*

S. WENCESLAUS MART.

28. Septembris.

Disparis educationis dispares exitus vide. Erant WENCESLAUS & Boleslaus germani fratres, Bohemiae uterque Dux, sed illum avia Ludmilla sanctissima matrona, hunc monstrum mulieris Drahomira mater eduxit. Nempe uterque mores nutricis imbibit. Fratres

nega-

negares, tam iste pietatem oderat, tam ille amaverat. Ille divina humanaque omnia usque deque habere, hic vero nudis pedibus summam hyeme templum obire, & facienti Sacerdoti minister adesse. Ostendit caelum, gratum sibi esse, hominem iis muniis assuescere, quibus cives sui Angeli delectarentur. Cum enim in Radislaum moveret WENCESLAVS parcus sanguinis suorum, sed prodigus sui, hosti duellum obtulit, ensiculo brevi succinctus, sed bene loricae cilicio & cruce armatus. Adest ille totus ferreus hastamque ingenti & macharam timendus; verum pugnam sibi non cum homine esse, sed Angelo videt, qui perterritum ad genua WENCESLAVI cogit descendere. Quin Otto etiam Imperator cum comitia haberet, inter Angelorum manus ingredi aulae WENCESLAVI vidit, comitatu profecto ipsi etiam Imperatori invidendo. Tandem Drahomira blandis verbis ad se invitatum per Boleslaum in mensam obtruncat. Sed parricidium novercae matris, neque ipsa quidem Styx tulit; curru quippe vectam cum omni comitatu (si modo aurigam excipias, qui aere campano excitus ad aram accurrebat) vivam absorpsit, utique non levem terram habituram, cui viva tam gravis fuerat. *Ex Suria.*

S. CHA-